D O M

INVICTI QVINARII NVMERI SERIES

QVÆ SVMMATIM A SVPERIORI BVS PONTIFICIBVS ET MAXIME

A SIXTO QVINTO

RES PRÆCLARE QVADRIENNIO GESTAS ADNVMERAT

AD EVNDEM SIXTVM QVINTVM PONT. OPT. MAX.

AVCTORE IOANNE PINADELLO TARVISINO

ROMÆ

M.D.LXXXIX

SIXTVS V. PONT. MAX. EXTRVCTOR. RESTITVTOR. AMPLIFICATOR. MODERATOR. CONSERVATORQ.

AD SIXTVM QVINTVM PONT. OPT. MAX.

IOANNIS PINADELLI TARVISINI

EXASTICHON

SAlue perpetuum Romæ decus, almeque Paſtor,
Eccleſiæ robur, Relligionis honos;
Nam robur LEO deſignat. Non firmius vllum
Suſtinet hanc molem, fert fideique iugum.
Quo longum incolumi, non eſt cur terreat hoſtis
Auſoniæ fines, Auſoniumque ſolum.

AD EVNDEM

TETRASTICHON

ACcipe Sanƈte Pater, nec deſpice munera noſtra,
Dum maiora ſtruis, poſt meliora leges.
At nunc non poteram maius donare. Dicabo
Quæ tua ſunt. Maior concinet illa lyra.

AD EVNDEM

EPIGRAMMA

QVàm multi Cælo ſublimem tollere molem,
Figere conati nobiliore loco:
Nec non Pontinas ferro exſiccare paludes,
Prædones ferro tollere & è medio?
Singula SIXTE potes; grandes te ſurgere moles,
Miramur Pontum vomere arare boues.
At maius nullo potuiſſe milite Romam
Purgare exulibus, cunƈtaque clauſa vijs.

DE OPERIBVS A SIXTO QVINTO PONTIFICE MAXIMO QVADRIENNIO ERECTIS

AD HOSPITEM IOANNIS PINADELLI TARVISINI CARMEN.

QVI Romam petis, & Roma tam multa viator
Miraris SIXTI nobilitata manu
Suspice vt extinxit prædones: vndique fudit,
Quot mare, quot tellus sustinuere, feras:
Vt pascitque gregem miseratus, dum tremit ingens
Italia, & crescens vrget in Vrbe fames.
Exquilijs monumenta vides, sacrumque Sacellum,
Indeque directis tot loca secta vijs.
Huc Vaticano defertur funere longo
Ille PIVS SIXTO proximus & tumulo.
Inde hortos, fontesque vagos, collemque Quirini
Non vno spectas nomine percelebrem.
Hinc Laterana domus niueo de marmore splendet,
Atque gradus sancti, & sancta fenestra nitent.
Ac Vaticanum Patres quos cudere cernis,
Descriptos libris Bibliotheca legit.
Tum Didacum Sanctis numerat, spectante Senatu
Purpureo: hospitio pauperiemque fouet.
Vrbi Felsineæ, Patriæ flos, clara iuuentus
Enitet, ingenij surgat vt inde decus.
Aspicis vt varia moles, Regumque labores
Se attollunt melius iam super astra Cruce?
Ad Tyberim surgit Titulus; sed maior. Heriles
Aequum est immensas experiatur opes.
Auri sublimi pondus seruatur in Arce,
Dum tamen INVICTVS tot monumenta locat?
Non procul aspicies Vrbes assurgere Olympo.
Lauretum, Mons hinc Altus & Aede micant.
Hæc infra lustrum absoluit. Maiora referre
Dum parat æterno carmine Nympha loci.


Templum S. Hieronymi
Templum Sancti Petri
Scala Sancta
Bibliotheca Vaticana
SIXTO QVINTO PONT. MAX.
AVCTORI.
Fons Aquae Foelicis
Mons Capitolinus
Triremes Nouae
Abundantia
Columna Traiana
Colum. Antonina

BEATISSIMO
SANCTISSIMOQ.
PATRI
SIXTO QVINTO
PONT. MAX.

IOANNES PINADELLVS FELICITATEM.

RES tuæ præclarè gestæ, BEATISSIME PATER, tuaq́; in rebus agendis pro Republica Christiana singularis prudentia neminem non ducunt, ac potius trahunt in tui admirationem. Me verò in Philosophiæ contemplatione conquiescentem, ita quasi è somno quodam excitatum, ad tuas laudes pertraxerunt, vt nisi pubico aliquo testimonio mihi ipsi, ac præsertim Taruisinis ciuibus meis, qui eas longius remoti venerantur, satisfecissem, nullo modo me ingrati animi crimen subterfugere posse sperarem. Collegeram nuper ex varijs historicis, sub Inuicti Quinarij Numeri serie, Romanos Pontifices, vt attingerem nonnulla ex tuis gloriosis operibus, quę, vt nos, qui Romæ sumus, suspicimus; ita exteræ gentes, vbi audiunt, prædicant, ac laudibus prosequuntur. Hanc seriem cum legissent nonnulli Viri sanè eruditi, non destiterunt me hortari, vt in

lucem quàm primum ederem: quod cum à me pluribus impetrassent, nemini opportunius dicari debuisse putaui; quàm tibi, qui hunc Quinarium Numerum consecutus, summa auctoritate, ac sapientia, supra nostram, aut Patrum memoriam, illustras. Accedit, quòd bonarum artium cognitionem complexus, earundem patrocinium suscepisti, vt meritò studiosi vnicum in te præsidium collocarint, ceteriq; mortales te parentem agnoscant, & fateantur. Quam ob rem fit, vt nihil ferè insigne his temporibus edatur, quod Sanctitati tuæ debitum non sit; multo magis, quæ tua sunt, ac de tuis operibus agunt, debita esse omnes confirmant. Ego igitur cum non ignorarem de Vitis Pontificum multos scripsisse, Numerum Quinarium duntaxat attingens, quem vnum elegisti, eundem aliquot mysterijs celebratum ad tuos pedes afferre ausus sum. Non enim dubito, quin pro singulari tua humanitate hoc exiguum munus hilari fronte suscepturus sis. Nam cum alia sunt, ob quę hic meus conatus, vt spero, tibi gratus erit, tum quia enarratis omnibus ordine sub Quinario Numero Romanis Pōtificibus, gloriosissimo tuo Pontificatu concluditur: cuius iustitia, atq; ex Theologorū fontibus deducta doctrina, insigni probitate coniuncta, vniuersus Christianus Orbis felicissimè gubernatur. Magna sunt PONTIFEX MAX. quæ vsque ad hanc diem perfecisti; maiora quæ per te inchoata assurgunt: maxima tamen quæ secutura sunt. Quæ singula, fauente Deo, vberius scribere, & maiori studio contendam. Interea Deum Opt. Max. precor, vt quod boni omnes exoptant, te Sanctissimum Pontificem, Ecclesiæ suæ, cuius es præsidiū inexpugnabile, multos annos cōseruet.

ROMAE. Non. Iunij. Anno M. D. LXXXIX.


EXIIT AD COELVM RAMIS FELICIBVS ARBOS
ALTAS MIRAMVR FRONDES SED PLVS SVA POMA

ALEXANDRO PERETTO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO
VICECANCELLARIO LEGATOQVE
BONONIAE

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
MICHAELI PERETTO MARCHIONI
BVRGIQ. GVBERNATORI.

IOANNES PINADELLVS TARVISINVS
perpetuam optat felicitatem.

P*LVRIMI Scriptores, Illustrissimi, & Excellentissimi Principes, cum veteres, tum recentiores Pontificum Romanorum seriem hactenus in lucem ediderunt, qui existimarẽt eam cognitionem non modo historiæ, cui percipiendæ clarissimum, ac præcipuum lumen præfert; sed etiam reliquis vitæ humanæ actionibus maximam vtilitatem cum singulari prudentia coniunctam afferre. Ego verò non omnium seriem complexus, satis fuisse existimaui, si INVICTVM QVINARIVM NVMERVM recensere͂, cum tam insignes in hac serie extiterint Pontifices, vt ceterorum quiuis alius numerus ei facilè cedat, præsertim quia clauditur integerrimo, & gloriosissimo Pontificatu SIXTI QVINTI, ex illustrissima vestra Familia, Principis, omnium virtutum commenda-*

tione insignis; qui Quadriennio suæ administrationis nihil vulgare, nihil humile, nihil non augustum, imò omnia præstãtissima, altissima, & admiratione dignissima gessit. De tot, & tantis Summi Pontificis rebus gestis tenui stylo, cũ in hoc Opusculo nonnulla scripsissem, & in lucem sub INVICTO, & FELICI *eius nomine edere decreuissem, commendare ea volui hac epistola Amplitudinibus vestris, tanquam consanguineis dilectissimis, & ipsius rerum gestarum peritissimis; quin etiam orare, atque obtestari, vt pro vestra in omnes humanitate, & benignitate dignentur huius mei laboris defensores, propugnatoresque esse. Vos enim, vel soli Illustrissimi, & Excellentissimi Principes, quos probitas vitæ, singulares virtutes, ac ingens meritorũ cumulus ad Cælum vsque innumeris laudibus ferunt, facilè tueri potestis. Accipiant igitur, obsecro, hoc meum munusculum defendendum, sapientissimo, & Sanctissimo Pontifici traditum, & dicatum; quod licet tenue admodum, & exiguum sit ad referenda illius præclarissima, & memoranda gesta; erit tamen meæ singularis erga Sanctitatem suam, & in vos obseruantiæ argumentum primum. Deinde si vita suppeditabit, alia, & fortasse in hoc genere maiora, tempore oportuno, conari non desistam. Interim Deum Optimum Maximum supplex precor, vt vos eidem Felicissimo* SIXTO QVINTO *sanguine adhærentes officiosissimos, & omni virtute præditos, ad huius sæculi honorem, & Ecclesiæ decus augendũ, diu incolumes tueatur.*

Valete, Romæ Non. Iunij Anno ab Orbe redempto

CIↃ IↃ XXCIX.

IOANNIS PINADELLI TARVISINI

IN INVICTI QVINARII NVMERI SERIEM

PRÆFATIO.

IN hoc breuissimo Opusculo ex Platina, alijsque historicis ostenditur, quisquis Summorum Pontificum Quintus appellatus est, & quid in vita sua præclarè gesserit; denique quàm posteris de se memoriam reliquerit, vsque ad Summum PONT. SIXTVM QVINTVM, in eorum numero decimum sextum, qui exemplo Dauid (iuxta versiculum XVI. in psalmo XVI. Tunc satiabor, cum apparuerit gloria tua) non satiatur, donec afflictam Ecclesiam ad optatam sanitatem, & gloriam reducat. Præterea etiam, quemadmodum in tam præclarorum Pontificum numero, sub nomine Quinti, decimus sextus est, ita & nonagesimam nonam ouem in totidem Regnis errantem, virtute Quinque Plagarum Christi, vero Christi Ouili, sanctæque Sedi Apostolicæ hoc angustiarum die reconciliet, Deum Opt. omnibus votis precabimur.

INVICTI
QVINARII NVMERI
SERIES
SIXTI QVINTI PONT. MAX. EXEMPLO
ILLVSTRATA

IOANNE PINADELLO
PHILOSOPHO TARVISINO
AVCTORE.



Tu es Petrus: et super hanc Petram ædificabo Eccle:
siam meam: et portæ inferi non prævalebunt
aduersus eam. Matth. XVI.

BONIFACIVS QVINTVS



BONIFACIVS Quintus Campanus Heraclio Imperatore Pontificatum inijt. Hic Vir integritate, modestia, magna erga omnes humanitate, grataque consuetudine vsus est. Tantæ prudentiæ præterea fuit, vt toto suo Pontificatu nihil comisisse legatur, quo meritò in gubernando negligentiæ reprehendi posit. Instituit, vt ad tēpla confugientes salui essent: quod antea sancitum fuerat ab Honorio, & Theodosio Impp. vt expresè ostendit Titulus de his, qui ad Ecclesiam confugiunt libro secundo Codicis. Præterea mandauit, ne Acolyti martyrum reliquias attrectarent, vt maiori in veneratione, ac cultu haberentur. Sic sane SIXTVS V. huius Pontificis instituto mandauit, vt à S. Pauli Innocentum Reliquiæ sacerdotis manu ad Exquilias delatæ honorificè conderentur, vt qui paulò post Christum natum sanguinem tenelli fuderant, eiusdem sacro Præsepi adiungerentur. Sunt verò & illa Bonifacij V. instituta, vt esset facultas sacrilegòs quouis in loco anathematizandi, ac testamentum iussu Principis factum vim suam haberet. Aedificauit B. Nicomedis cęmiterium, atque in clericos piè, & catholicè viuentes mira liberalitate, ac munificentia vsus est. Plura, ac præclara suis operibus addidisset, si per illorum temporū calamitates licuisset. Demum virtute plenus, Pontificatus sui anno quinto, die decima defertur in Basilicam S. Petri omnium dolore, ac lachrymis. Vacat Sedes dies tresdecim.

IOANNES QVINTVS



Anno à Christo nato DCLXXXV.

IOANNES Quintus, natione Syrus, patria Antiochenus eo tempore Pontificatum suscepit, quo Imperator Constantinus decimo septimo Imperij sui anno obijt, filio Iustiniano secundo in Imperio relicto. Hic Pontifex mansuetudine singularis vno omnium consensu creatus est in Ecclesia S. Saluatoris, quæ Constantiniana nuncupatur. Quam Ecclesiam circumquaque ruinis tectam admiratus SIXTVS QVINTVS, quasi, vt Innocentius III. in somnijs viderat S. Franciscum collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere; ita ipse ab eodem Ordinis sui in Cælis patrono S. Francisco admonitus omnem lapidem mouit, antiquis illis substructionibus munifica manu innouandis. Erigitur Pontificia ædes, gradus illi sacri, quos poplitibus flexis supplices terimus honorifico in loco, splendore collucent. Ioannes vero inter cetera sua instituta voluit etiam Romanum Pontificem ab Ostiensi, Portuensi, ac Veliterno Episcopis consecrari: qui quidē mos nunc etiam perdurat, cum antea nouus Pontifex solum ad Cathedram S. Petri deduceretur, cui insidens possessionem acciperet. Scripsit libellum de Pallij dignitate. Demum cum & ante Pontificatum æger esset, in ipso etiā Pontificatu morbo laborans vix anno sui Pontificatus expleto in summa opinione migrauit.

Post eius obitum Sedes vacauit menses duos, dies decem, & nouem.

STEPHANVS QVINTVS



Anno à Christo nato DCCCXVI.

STEPHANVS Quintus creatur eo tempore, quo Normanni vnà cum Dacis omnem ferè Galliam vastabant. Eorum rumorum metu, translato sancti Martini corpore ad Ecclesiam sancti Germani, quæstio orta est, quis nam ex ipsis nomen daret Ecclesiæ. Itaque in vtriusque medio positus leprosus, sanatur qua parte Martinus erat. Nec verò desistent posteri annalium SIXTI QVINTI obseruatores hoc etiam tanti Pontificis præclaris gestis addere: illum Anno Quarto sui Pontificatus, qui incidit in M D LXXXIX. in ipso anni initio sola benedictione hominem in vrbe Roma notum, ex Societate Iesu lepra infectum sanasse. Ac de Stephano Quinto, de quo dicere cœperã, inter cetera instituta illud refertur, sustulisse supplicium feruentis aquæ, quod tunc in vsu quæstionum erat. Cum verò Gallia, & Germania maximo in timore essent, quod Hunni eas florentissimas regiones depredarentur, Sanctissimus Pontifex dolens vicem Christiani populi anno Sexto, & die vndecima sui Pontificatus moritur, maxima in vtraque Gallia sui opinione relicta.

Hic vt quintus in ordine eius nominis fuit, ita contigit, vt esset vacatio dierum Quinque.

LEO QVINTVS



Anno à Christo nato DCCCCII.

LEO Quintus Ardeatinus Pontificatum adeptus est non sine maxima cuiusdam sui familiaris inuidia. Hic cupiditate imperandi tantum est ausus, vt Leonem verum Pontificem, à quo magnis honoribus, antequam esset Pontifex, decoratus fuerat, captum, in vincula conijecerit. Miserrima certè tempora, in quibus non dicam Reges, aut Imperatores, sed priuatus homo tantum poterat, vt in Romano Solio sedentem Pontificem non modo attingere, sed vinctum in carcere mori coegerit. Hac verò ætate nostra, quod eò extulerit dignitatem Pontificiam SIXTVS alter QVINTVS, vt eam etiam Principes summi, & timeant, & venerentur, nemo est qui laudare non debeat. Nec non summis in Cælum laudibus extollemus, eundē admirabili parsimonia Ærarium in Arce Hadriana collegisse pro Ecclesiæ necessitatibus, vt in posterum omnes hanc Sedem Petri, quo debent honore, reuereantur, & extimescant. Nec mirum LEONIS Insignia, & opera præfert. Leo verò Pontifex dolore animi, spatio dierum quadraginta extremum vitæ suæ diem clausit.

BENEDICTVS QVINTVS



BENEDICTVS Quintus Romanus, Imperatore Othone Augusto, Pontifex maximus infelicissimis, & asperis temporibus creatur. Ac SIXTXS QVINTVS cum etiam Italiam omnẽ exulibus occupatã reperisset, non multitudine hominũ armata; sed sua eximia prudẽtia omnia pacauit. Meminimus enim meminimus, nec vnquam obliuiscemur, calamitatum superiorum temporum. Latrocinia passim exercebantur. Aratoribus, pecuarijs, mercatoribus nullus erat tutus relictus locus. Nos non præterit quàm plurimos nocte, ac media die trucidatos, luce palàm occisos: pecuniam per vim à multis morte posita extractam non ignoramus: homines innocentes in siluis, in ipsa Vrbe cęsos dolemus. Sed SIXTVS quasi Leo vicit. Fugati hostes pacis, quid dicam fugati? penitus radicibus ipsis auulsi, extirpatique sunt. Redditur igitur SIXTO QVINTO pax Italiæ iucundissima. Iurisdictio Ecclesiastica intrepida, atque inuicta SIXTI manu defenditur. Debitus honos Pontificiæ Maiestati restituitur. Sed vt ad Benedictum Quintum reuertar, cum annum vnum sedisset, & menses iij. extremum suę vitæ diem morte confecit, sepeliturque ad S. Petrum. Vacauit Sedes dies decem.

GREGORIVS QVINTVS



GREGORIVS Quintus, Saxonia oriundus, instante Othone III. Pontifex creatur. Verùm postea discessu Othonis in Germaniam coactus est quorundam tumultu eò, & ipse Pontifex proficisci. Consentiente Othone septemuiros Electores Imperij instituit. Decreuit præterea, vt qui ab his Germanis Proceribus electus esset, Cæsar; post confirmationem, & Coronationem ab Episcopo Romano, Augustus diceretur. Hac ætate Sabaudiæ Comitatus erigitur. Vtinam verò, vt nunc Dux ille Serenissimus pro Ecclesia laborat propagãda, in dies statum suum augeat, ac nido illo impietatis, qui Geneuæ affixus est, adusto, auorum suorum loca recipiat. Quod sub SIXTO V. sperant omnes, qui pro Ecclesiastica iurisdictione amplificanda omnem lapidem mouet. At Gregorius Quintus Pontificatus sui anno secundo, mense quarto moritur. Sedes vacat dies xxv. Gregorij sepulchrum adhuc in ęde sancti Petri extat apud aram sancti Andreæ. Leguntur in eo multa carmina; inter quæ hæc prima sunt, quæ eius nomen exprimunt, non tamen satis sibi constare videntur.

Hic quem tegit humus oculis multumque decorum
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.

INNOCENTIVS QVINTVS



INNOCENTIVS Quintus, natione Burgundus, antea dictus Petrus de Tarãtasia absens, ac primus ex Ordine Prædicatorũ, Aretij Pontifex Romanus renunciatur. Aretio Romam profectus, mitræ, consecrationisque solemnia in Basilica sancti Petri peragit. Mittit Legatos magna auctoritate, vt controuersias tum inter Etruscos, ac Pisanos, tum inter Genuenses, ac Venetos componant. Fuit Doctor Theologus, & in libros quatuor Sententiarum, & Epistolas Pauli commentarios eruditissimos scripsit. Felicissimus Pontificatus, qui à Theologis rectus est, ac gubernatus. Est enim Theologia de rebus diuinis scientia: hac, vita, & mores, instruuntur; res occultæ, ac diuinæ explicãtur. Hæc omnium laudatarum artium procreatrix, & parens. Meritò igitur SIXTO QVINTO optatissimo Pontifice, qui Theologiæ studium tractauit, & nunc etiam acri ingenio persequitur, sanctissimã gubernationem experimur. Est enim veteris Philosophi dictum, cũ primum Viri eruditi ceperint gubernare, tunc demum beatas fore Respublicas. Moritur Innocentius mense sexto, ac die secundo sui Pontificatus, & sepelitur in Basilica Lateranensi. Vacat tum Sedes dies xxj.

HADRIANVS QVINTVS



HADRIANVS Quintus, in Lyguria ex familia Flisca nascitur honestis parentibus. Hic Romę apud Lateranum Pontifex creatus Viterbium statim contendit. Mirum est quàm tunc oppressa iaceret Pontificia dignitas Caroli potentia. Eam subleuare Vir magni consilij toto pectore conatus est. Fuerat Hadrianus Pont. Max. Innocentij IV. Nepos, qui dum esset Cardinalis in Angliam Legatus missus fuerat ad controuersias Regis, & Baronum sedandas. Quod Regnum iam trigesimum circiter annum à vera fide defecisse dolens SIXTVS QVINTVS, his nostris temporibus, gregem suum, ac sancti Petri Patrimonium, nihil non effecit, vt ad veram Religionem reuocaret. Iuuit ille consilio, & pecunia maxime in bello, quod anno Quarto eius Pontificatus paratum est. Instructissima Classis ex Hispania egressa, futurũ sperabamus, vt portum caperet, atque illa Iezabel tandem ad SIXTI pedes peruoluta, eosdem lacrymis rigaret Magdalenæ exemplo, quæ vt iamdiu turpissimè viuit, ita nostros sęuissimè torquet. Sed non est abbreuiata manus Domini, nec diffidimus, quia vt multa gloriosè vidit in Ecclesia sua SIXTVS, ita Anglos ad se redeuntes amplectetur. Sed Hadrianus Quintus vix dies quadraginta attigerat, cum è vita discedit Viterbij. Sepelitur in æde fratrum Minorum.
Vacat Sedes dies viginti octo.

CÆLESTINVS QVINTVS



CÆLESTINVS Quintus, Petrus Moroneus antea vocatus, patria Esernienſis fuit. Hic vrgente maximè Carolo Rege, & Latino Cardinali Pontifex declaratur. Vocatur ex Cœnobio ad Pontificatum tanta omnium opinione, vt mirus ad eum viſendum fieret concurſus. Inſtituerat enim ante Pontificatum Ordinem Cęleſtinorum Monachorum ſub regula ſancti Benedicti. Pontificatum adeptus Cardinales duodecim creauit Viros integerrimos, ex quibus duo fuerunt ex eremo. Sed cum ſibi magis ſolitudo probaretur, ſtatuit de Pontificatu reſignãdo. Coram omnibus pleno Conciſtorio mitram, anulum, ac ſandalia depoſuit. Eodem penè tempore diem ſuum obijt Nicolaus de Tolentino, qui poſtea ab Eugenio Quarto in Sanctorum numerum adſcriptus eſt. Ac SIXTVS V. memor eiuſdem ſanctitatis voluit, vt eius dies feſtus Calendario Romano adiungeretur, atque officio duplici celebraretur, quod in pluribus alijs ſanctitate conſpicuis obſeruari mandauit. Sedit Pontifex in ſede Petri menſes quinque, & dies ſeptem. Eius à Pontificatus abdicatione vacauit Sedes dies decem. Huic ſucceſsit Benedictus Caetanus, qui dictus eſt Bonifacius VIII. & Iubileum primum dicitur celebraſſe Anno M CCC.

CLEMENS QVINTVS



CLEMENS Quintus Vaſco, Epiſcopus Burdegalenſis, poſt longam Patrum contentionem, tandem abſens Pontifex Max. renunciatur. In eius coronatione ingens fuit numerus Principum. Fertur ruinam parietum ſequutam tantam, vt de Pontificis ipſius vita dubitatum ſit. Vbi Pontifex creatus eſt, Cardinales ad ſe vocauit; voluit eos in Gallia eſſe, quò Sedem ab Vrbe tranſtulerat. Fuit igitur Auinioni ſedes annos circiter lxx. maximo Romanæ vrbis incommodo, quæ deſerta Paſtore, inculta facta erat. Pontifex interea aliquot Conſtitutiones confecit, quę eiuſdem nomine Clementinæ dictæ ſunt. Cæleſtinum Quintum inter ſanctos retulit, cuius exemplo, ne à SIXTO V. diſcedamus, Anno M D LXXXVIII. Didacus Complutenſis ſanctorum numero adiungitur maxima omnium lętitia, ac plauſu. Huic Canonizationi, & ipſe interfui. Clemens vero Venetos ob occupatã Ferrariam, nec non Florentinos, & Lucences ſacris interdixit. Baſilicam Lateranenſem incendium paſſam reſtituit. Ad huius Pontificis tempora Milites Rhodij S. Ioannis Baptiſtæ initiũ habent. Supplicationes ſolemnes ſanctiſsimæ Euchariſtiæ inſtituuntur. Item hoc ſæculo Hebraicæ, Chaldaicę, Arabicæ, ac Græcę linguæ ſtudium in quatuor nobiliſsimis Europæ Academijs fundatur. Moritur Clemens anno VIII. ſui Pontificatus menſe x. die xv. Vacat Sedes per biennium.

VRBANVS QVINTVS



Anno à Christo nato MCCCLXII.

VRBANVS Quintus Lemouicensis, cum esset Abbas sancti Victoris, vocatur ad Pontificatum absens, maximo Cardinalium omnium consensu. Hic planè vir fuit innocẽtissimæ vitæ, & cũ in exteris regionibus per aliquot annos commoratus esset, Anno Pontificatus sui Quarto in Italiã venit. Inter alia cum reperisset Apostolorum capita in loco, qui apud Lateranum ob ingentem numerum Reliquiarum SANCTA SANCTORVM nuncupatur, voluit in ea parte, qua nũc visuntur, sublimi, argenteis loculis reponi. Sed sanctissimam illam ædem, quæ sancti Laurentij dicta est, vnde sacra capita Apostolorum accepta sunt SIXTVS QVINTVS solita pietate exornat; cum enim timendum esset, ne vetustate rueret, ita reficit, ac innouat, vt sui oblita vetustas noua omnia admiretur. Neque vero desistit idem SIXTVS Pontificias augere in Vaticano, exemplo Vrbani Quinti, qui itidem ædes Pontificias tum in vrbe Veteri, tum in Monteflascone construxerat. Vrbani Quinti temporibus Viennæ Austriæ vniuersale studium ab Alberto Duce fundatur, dum SIXTVS QVINTVS in Firmana Ciuitate idem solita munificentia præstat. Vrbanus verò post sui Pontificatus annos nouem in itinere Massiliæ moritur. Sedes vacat dies decem.

ALEXANDER QVINTVS



ALEXANDER Quintus, natione Cretensis, Petrus Candianus antea vocatus, ex Ordine fratrum Minorum ad Pontificatum assumitur, ex quo non minori gloria assumptus est SIXTVS V. PONT. MAX. cui vitã diuturnam, ac felicem omnes precamur, cum tot bona attulerit Ecclesiæ, quot nemo desiderare potuisset. Hic in pauperes fuisse dicitur liberalissimus; nam de se ipso per iocum dictitabat: fuisse se Episcopum diuitem, Cardinalem pauperem, ac mendicũ Pontificẽ. Celebratus est inter summos Theologos; scripsit in libros Sententiarum commentarios. Hic etiam in Concilio Pisano Ladislaum Regem regno priuauit. Pisis Bononiam venit, vbi, cum mortem sibi instare cerneret, Cardinales ad se vocatos ad concordiam, ad pacem; denique ad tuendam Ecclesiæ dignitatem pluribus est adhoratus. Idem, cum mortem ante oculos se cernere diceret, testatus est se nihil reformidare, conscientia benè actæ vitæ motus. Vix hæc dixerat, cũ lacrymantibus omnibus, qui aderãt, illud Saluatoris verbum ægrè proferens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, statim moritur Pontificatus sui anno primo. Conditur in Ecclesia fratrum Minorum Bononię. Sedes vacat dies xiij.

MARTINVS QVINTVS



MARTINVS Quintus Romanus, familia Columna, quæ in Vrbe primaria nostris etiam tẽporibus, nouo Perettarũ matrimonio, clarissima, aucta est, nascitur; qui consulens semper religioni, eiusdemque dignitati, Constantiæ dum varia vigẽt factionum studia, nationum omnium, & Cardinalium cõsensu Pontifex creatur temporibus sane difficillimis. Hic sciens Romanam Ecclesiam cæterarum caput esse, ac parentem, in eadem Pontifici immorandũ esse statuit, vt facilius Italiæ, ceterisque nationibus, tamquam in puppi gubernator fluctibus maris, prouideret. Discedit igitur Constantia Sigismundo Imperatore inuito. Excipitur honorifice Mediolani à Philippo Duce sibi amicissimo. Inde Mantuam, post Ferrariam, ac Florentiam contendit. Demum Romam venit, vbi Romani omnibus vijs effusi omnis ordinis Martinum vnicum parentem adorarunt. Diem Romani, quo Martinus Vrbem ingressus est, in fastis annotauere octauo Kal. Octobris M CCCC XXI. Hic Vrbem dirutam miseratus, ad eam exornandam, templa reparanda, animum adiecit; cuius exemplo plurimos illius temporis Cardinales idem fecisse ferunt. Hic erat animo ita inuicto, vt duobus fratribus subito extinctis nullum doloris signum prætulerit. Interea vero Vrbe, atque Italia vniuersa Brachij Montonij Viri in re militari præstantis, armis perturbata, qui in Vmbria maxime furens Ducatum Spoletinum occupauerat, ac Patrimonij non exiguam partem domuerat: Sed Pontifex monere non destitit hominem, ne plures trage-

dias excitaret, qui tamen obsistens censuris coactus, tandem intercedētibus Florentinis eius fautoribus Brachius ad pedes Martini accedens veniam petijt. Atque eiusdem Martini prudentia factum est, vt Baldessar Cossa Ioannes xxiij. dictus, qui in schismate fuerat ad obedientiam rediret; nam cum is è carcere Cosmi Medicis precibus fuisset liberatus, ad Petrũ Rubeum Parmensis agri dominum diuersatus, inde ad Legatum Pontificis venit. Tũ verò cum omnes innouandum Schisma suspicarentur cũ maxima omnium admiratione pede Martini Pontificis exosculato, eundem, ijs qui aderant audientibus, verum Pont. adorauit. Deinceps Bononiam tumultuantem, Gabriele Cōdelmario, qui ei successit in Pontificatu legato misso, in officio, & obedientia Sedis Apostolicæ continuit. Tum Ludouicum in Regno confirmauit, ac res in magno discrimine positas inter Philippum, & Venetos felicissime composuit. Quin etiam quæ ad Religionem propagandã attinebant, promouere studens Papię Concilium inchoari voluit; Interim cum pestis eam vrbem inuasisset, visum est Senas migrare. Deniq. peractis omnibus, ac schimate sublato omnem curã posuit in Viris probis, ac doctis prouehendis: nam in beneficiorum Ecclesiasticorum vacationibus, secum quærebat quis ad id potissimum idoneus videretur. Inuestigabat quis, & qualis is esset, cui beneficium dandum erat, quibus in locis enutritus, quibus in Gymnasijs institutus, non alia de causa, nisi vt beneficium bene collocatũ constaret. Ex operibus vero publicis inter alia hæc celebrantur. Atriũ Basilicæ Sancti Petri restituit, pauimentum Lateranense extruxit, vbi & sepulchrum sibi poni voluit, quod nunc etiã

in

in medio templo eius ex ære expressa imago conspicitur, in quo inter cætera illustria signa illius ætatis, ac digna memoria tanti Pont. extãt illa verba SVORVM TEMPORVM FELICITAS. Aedes vetustate collabentes ad xij. Apost. restituit, vbi per aliquot annos habitauit. Errores Ioannis Vvicleff Angli, Ioannis Bohœmi, ac Hieronymi de Praga in Concilio Constantiensi damnauit. Officiũ Rotæ, ac Cancellariæ, cui nunc Alexander Perettus SIXTI Quinti Pontificis Nepos præest, reformauit. Atque ad eos qui prouincias, ac ciuitates gubernabant sæpissime hæc solitum dixisse fertur. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Prosperum Columnam Nepotem suum Sancti Georgij ad Vellus aureum Diaconũ Cardinalem creauit, cuius loco hac ætate nostra floret Ascanius Columna Diaconus Cardinalis S. Nicolai in in carcere Tulliano à SIXTO V. ob insignia eius merita, ac doctrinã, præsertim in Sacra Theologia supra ætatem, singularem, creatus, Titulo etiam Basilicæ S. Ioannis Lateranensis, quæ super omnes Vrbis, & Orbis Ecclesias præeminẽtia, & pręcedentia gaudet, auctus est. Nam de Marci Antonij Columnæ itidem S. R. E. Cardinalis meritis egregijs plura dici deberent, quàm huius angustiæ orationis nostræ pati posse videantur.

Moritur Martinus Anno XIII, & Mense tertio sui Pontificatus.

Vacat tunc Sedes dies xij.


NICOLAVS QVINTVS.



Anno à Christo nato MCCCCXLVII.

NICOLAVS Quintus Lunenſis, oppido Saraceno oriundus, vno, eodemque anno Epiſcopus Bononienſis, Cardinalis, & tandem Pontifex omniũ, qui aderant ſuffragijs creatur: fuit virtute, & doctrina clarus. Hic Federicum Imperatorem vnà cum Leonora eius coniuge corona decorauit. Iubileum anno M CCCC L. celebrauit, curauitque diligenter, ne graſſatores, Peregrinis ad Vrbem accedentibus, moleſti eſſent. Bibliothecam Vaticanam extruxit, exornauitque, miſsis in varias partes Viris doctis, qui libros exquirerent. Cuius exemplum ſecutus SIXTVS Quintus non minori animo Bibliothecam loco ſublimiori, & ampliori erectam, & libris auget, & bonis artibus exercitatis aditum maximis muneribus ad omnem laudem parat. Verùm Nicolaus, cum primus illius ſæculi literas penè extinctas excitaſſet, Baſilicam S. Petri ab aſpidis fronte pulchro cepit opere illuſtrare. Præterea reſtituit templum S. Stephani in Monte Cælio, & M. Agrippæ opus vetuſtiſsimum plumbeo tecto cooperuit. In Vaticano Pontificias ædes ſumptuoſis operibus auxit. Pontem Miluium reparauit, & ædes egregias ad balnea Viterbiẽſia ædificauit. B. Bernardinum Senenſem ordinis Minorum miraculis clarum in Sanctos retulit. Tum vero concordiæ optatiſsimæ inter Federicum Imperatorem, Principes nationis Germaniæ, ac Sedem Apoſtolicam auctor extitit. Eleemoſynas multas in pauperes erogauit. Tandem octauo Pontificatus ſui anno Romæ obijt. Sedes vacauit dies decem & quatuor.

PIVS QVINTVS.



Anno à Christo nato MDLXVI.

PIVS Quintus è gente Gisleria, Boscho oppido in Liguria natus, Michael sacro baptismate ablutus vocatur; quod nomen etiam in Religione sancti Dominici, quã professus est, retinuit. Hic ex prædicatore Inquisitor, tum Cardinalis Tituli Sanctæ Mariæ super Mineruam à Paulo Quarto creatus xv. Martij anno MDLVII. Alexandrinus dictus est. Postea Episcopus Montis regalis Ecclesiam suam inuisens pluribus reformare non destitit. Inde in Vrbem reuersus Pio Quarto vita functo anno MDLXVI. nonis Ianuarij suffragijs Cardinalium LII. qui tunc in comitijs aderant Pontifex Max. renunciatus est. Coronatur xvj. Kal. Februarij, festo die S. Antonij, qui fuerat illi natalis. Erant tũc res Galliæ, vt & hodie, in maximo discrimine. Quamobrẽ singulari diligẽtia laborauit in ipso ingressu sui Pontificatus omnia illi opportuna remedia prouidere. Iuuit eam consilio, pecunia, armis ipsis, vt penitus extingueret hæreticorum morbum pestilentissimum. Et certe finis factus fuisset Gallicarum discordiarum, si plane tanto Pontifici fuisset obtemperatum. Constat nihilominus hæreticos, à quibus plurimas, insignesq. victorias reportauit, dicere solitos, Pio Quinto acriorem hostem in fide Petri se fuisse expertos neminem. Itaque cum nostri illum venerarentur, & maximo in honore haberent, neque hostes ipsi se continere potuerunt, quin tantum Pontificem summis laudibus prosequerentur, quod meo iudicio in maximam eius laudem redundat: bonũ enim est vt ait Philosophus, quod idem omnes fatentur, vel hostes

ſtes ipſi euidentia victi negare non poſſunt; neque vero nobilitas illorum oculos præſtingebat, ſed virtus ex alto infuſa. Nã prudentia ſingulari non ceſſabat rebus publicis vacare; dum tamen vita innocentiſsimus, in oratione ad Deum fuſus pro grege ſibi commendato maiora quędam conſequebatur. Obtinuit enim, vt Elias ille Carcoſſus tunc Iudæorum Conſeruator ad fidem noſtram cum tota familia conuerſus, breui ad trecẽtos ab eadem lege ad Chriſti veram religionem traduxerit: nimirum poteſt tantum apud Deum oratio, vt hoſtium noſtrorum etiam duriſsima corda emolliat. Interea diſciplinam Eccleſiaſticam tractans, quę in Tridentino Concilio decreta fuerant, executioni mandare toto pectore conatur, vt quæ in celebratione Miſſarum, horiſque canonicis legimus, ipſius opera reformata habeamus. Magna quidem fuit eorum laus, qui vel Concilium inchoarũt, vel perfecerunt, ſed non minor Pij Quinti putanda eſt, qui, quæ in Concilio ſtatuta fuerant, ſapientiſsime obſeruari mandauit: facilius enim in ęre leges incidi poſſunt; quàm in cordibus hominum. Proinde Vrbem reformauit, eiusq. gradus omnes, ac dignitates. Huc attinent tot, ac tam vtiles eius conſtitutiones contra ſymoniacos, fiduciarios, vſurarios, & cambia illicita contrahentes, contra concubinatus, & huius generis quàm plurima, & ſanctiſsima inſtituta. Præterea Cardinales tres præpoſuit cognoſcendis cauſis, quibus Epiſcopi Romæ detinerentur, vt ſi idoneæ non eſſent, ad ſuas diocœſes remitterentur. Deinde ſtatuens reſignationes Beneficiorum ſimplicium non admittere, niſi habito prius diligenti examine, num eſſent idonei; cum quidam ad ipſum retuliſſet, id eſſe Curiam

deſtrue-

destruere, respondit, minus malum est destruere Curiã, quàm diuinum cultum negligere, ac Christianam Rempublicam turpiter prodere. Præterea Montem Religionis non vacabilem, Fœderis vero vacabilem erexit; nec non S. Thomæ de Aquino Doctoris Angelici festum celebrari statuit, illumq. in Calendario Romano adscribi iussit. Cum vero notum Pontifici esset Cosmum Medicẽ illo tempore Florentinorum Ducem magnam operam pro Religione posuisse, pecunia etiam liberalissime in bellis contra Hæreticos exhibita, anno M D L X X. mense Februarij ad vrbem venientem in Aula Regia coronauit, & in Magnum Ducem cum suis successoribus creauit, in cuius Corona Pontifex illa verba inscribi voluit PIVS QVINTVS PONT. MAX. OB EXIMIAM DILECTIONEM ET CATHOLICÆ RELIGIONIS ZELVM PRÆCIPVVMQVE IVSTITIÆ STVDIVM DONAVIT. Nec vero immemor in tanta dignitate veterum beneficiorum, sempiternæ memoriæ Pauli IV. à quo Cardinalium numero adscriptus fuerat, extare voluit monumentum clarissimum in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Mineruam. Eodem tempore in Monte Pincio, gratus memoriæ Rodulphi Pij Cardinalis Carpensis Senatus principis, sepulchum erexit, quod munus nouissimè, mortuo Alexandro Farnesio itidẽ Senatus principe, vetere instituto Ioannes Antonius Sorbellonus suscepit, illudque singulari integritate, ac prudentia, necnon assidua diligentia, ac sollicitudine, magnaque omnium gratia, ætate grauissimus substinet. Extant Pij ædificia in Vrbe, & extra; ac in Patria sua cœnobium sub nomine san-

ctissimæ Crucis fratrum sancti Dominici, ex cuius ordine fuerat. Non longè à portu Romano in agro Ostiensi præsidium ædificauit S. Michaelis nomine, quod in ipsis Tyberis faucibus multum affert adiumenti illuc è mari emersis. Porrò aquam Virginem, opus à Pio Quarto cęptum, magna omnium lætitia, & commodo in Vrbem introduxit, eamque in varios fontes distribuit. Ciuitatis Leoninæ mœnia perfecit, & Palatium Sanctę Inquisitionis ab eodem Pio Quarto inchoatũ, ad hæreticos in carceribus cohibendos, absoluit: nec minus semper pro religionis propagatione inuigilans de hostibus Christianorum tollendis meditabatur. Sub id tempus plurima gessit; sed eius laudes, tum quia egregie, & abunde, Hieronymus Catena conscripsit, tum quia breui oratione vtor, me complecti non posse fateor. Est illè fons, vt dixi, si quis sitit, eat, bibat, & satiabitur. Illud vero silentio præteriri non potest, quod contra Solymanũ immanissimũ tyrannũ Vngariam vexantem ad Imper. magnam copiã auri trãsmiserit. Tum verò icto fędere cum Rege Catholico Philippo II. ac Venetis diuinum imprimis implorãs auxilium, quo maximè fidei nostrę hostes frangũtur, Iubileum, ac solemnes supplicationes indixit, in quibus suis pedibus tanta pietate Pius Senex progrediebatur, vt omnes ad sui deuotionẽ attraheret; liberatis præsertim pluribus energumenis suis precibus publicè populo Romano spectante, & admirante. Interea vero parata classis contra Turcarũ sæuissimum tyrãnum è littore soluitur, explicatoq. vexillo Crucis pręlium committitur ab hora xvij. ad xxij. vsque. Erat Turcicæ classis numerus tantus, quantus post hominum memoriam contigit num-

quam.

quam. Pugnauit nobiscum Deus, victoriaq. parta, quam non oratores modo, sed poetæ pluribus carminibus exor narunt. Itaque præter communem nostrorum omnium lætitiã, Venetijs cussa pecunia est hac inscriptione. A N-NO MAGNÆ NAVALIS VICTORIÆ DEI GRATIA CONTRA TVRCHAS. Quasi orationibus tanti Pontificis eam victoriam Veneti se con secutos faterentur. Pontifice postea vehementius calculi doloribus vexato: Auge dolorem Domine dicebat Pius ille, sed auge, & patientiam. Tandem omnibus virtutibus toto Orbe clarus, reparatis legibus, atque Vrbe refor mata, anno sexto sui Pontificatus ex hac vita ad feliciorẽ emigrauit. Vacauit Sedes diebus tresdecim. Huius corpus ex S. Petri ad Sanctæ Mariæ in Exquilijs translatum monumento à SIXTO QVINTO gratissimo Pontifice conditum est. Nam Pius tribus publicationibus in Pontificatu peractis xxj. Cardinales creauit. Inter quos SIXTVM V. xvj. Kal. Iunij M D LXX. ad eam dignitatem euexit, in qua ita se gessit, vt ad eiusdẽ æqualem locum spacio quindecim annorum summis laboribus, & maximis meritis felicissime ascẽderit. Licet plura in Pio Quinto laudanda sint digna bono Principe, quæq. longe ampliorem commẽdationem merentur, quàm tenuitate mea explicari possint: hoc tamẽ immortale erit, quod eum elegerit in Cardinalium numerum, qui sanctissimam Petri Sedem ita defenderit, & exornarit, vt nemo magis. Sed tempus est, vt nonnulla breuiter de SIXTO Quinto attingamus, quæ in hoc quadriennio obseruare potuimus, erga tantum Pontificem singulari deuotione permoti.

SIXTVS QVINTVS.



SIXTVS Quintus Picenus, ex vrbe Montalto, gente Peretta, anno salutis M D X X I. idibus Decembris, festo S. Luciæ die, clarissimam lucem Orbi terrarum allaturus, in hanc lucem suscipitur. Vir insigni vitæ integritate, eloquentia singulari, doctrina incomparabili, in rebus agendis prudentissimus, vnum denique virtutum exemplar in spem afflictæ Ecclesiæ consolandæ, durissimo tempore, ad summum Pontificium munus omnium amplissimorum Patrum applausu, summaque Romani populi lætitia assumitur Oct. Kal. Maij M D L X X X V. & Kal. Maij, quo die sanctorum Philippi, ac Iacobi à Romana Ecclesia, in Ordinis sui cœnobio, SS. Apostolorum nuncupato, anniuersaria celebrantur, coronatus: in cuius Pontificatu quadriennio, de quo scribere cepimus, erat Imperator Rodulphus III. Galliæ Henricus III. Hispaniæ, ac Lusitaniæ Philippus II. Scotiæ Iacobus Stuardus, Poloniæ Stephanus Battorius, & Sigismundus III. Daniæ Federicus. Dux Venetorum Nicolaus de Ponte, tum Paschalis Cyconia. Magnus Dux Hetruriæ Franciscus, ac Ferdinandus Medices. Dux Sabaudiæ Carolus Emanuel Philibertus, Ferrariæ Alphonsus Atestinus, Vrbinas Franciscus Maria de Ruuere, Mantuæ Guilielmus, ac Vincentius Gonzaga. Parmæ denique Octauius, & Alexander Farnesij. Sed vt ad SIXTVM Quintum reuertar; de eo dum nonnulla attingere conor, maximè vereor, ne in tanta multitudine mea aberret oratio. Nam cum omnia super omnem ordinem gesserit, quo ordine in te-

xendis his vti debeam, ſanè non video. Imitabor pictores, qui vt multitudinem ingentem exprimant, ſatis ſe officio ſuo feciſſe putant, ſi eminentia duntaxat capita coloribus oſtenderint. Non igitur hiſtoriam tanti Pontificis, ſed potius deſignationem quandam præmonſtrabo, quam vel ipſe aliquando perſequar accuratius, vel haud dubie alij ingenio maiori, ac illuſtrioribus verbis exprimerit. Ea verò, quæ de tanto Pontifice comperta mihi fuere, breuiter recenſui. Vt tandē ordiamur. Pontificatum SIXTVS Quintus inijt maximis inſtructus præſidijs: etenim Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpacijs gloriosè decurſis, acri ingenio, ac memoria præſtanti, breui è diſcipulo inter magiſtros adnumeratus eſt. Hic in S. Franciſci familia cum doctrina pectus repleuiſſet, eam intra domeſticos parietes primum docere, tum in ſacris templis prædicare ſummo labore, & patientia non deſtitit. Hinc ad gubernationem per plurima munia aſcendens, in quam ſe partem dediſſet, quaſi quidam ex veterum annalium memoria admirationi omnibus erat. Fit pro Republica Chriſtiana aduerſus hæreticos Inquiſitor; deinde in Hiſpaniam miſſus ob Apoſtolicæ Sedis cauſas graues; illis ipſius conſilio, & ſolertia tandem compoſitis, Romam reuerſus, vocatur ad vniuerſi ſui Ordinis regimen. Quia verò familiæ ſuæ benè præerat, æquum erat, vt alienæ itidem ſapienter præeſſet. Creatur Epiſcopus Agathenſis; ac nō multò poſt, quoniā Pius V. qui & quantus Pontifex? nouerat Viri virtutem egregiam, iamq. diu probatam, eum ad Cardinalatus honorem promouit: augetur paulo poſt Epiſcopatu Firmano. Interim Gregorio emortuo, comitijs de more in Vaticano habitis, Pontifex

maxi-

maximus, sic diuina disponente prouidentia, incredibili mortalium omnium lætitia, vno studio, vna consensione creatus est. Vix clauum ceperat; cum subitò, vt ad bonos gaudium, ita ad improbos ingens metus peruenit. In hoc solio collocatus, sciens SIXTVS quantum sibi onus incumberet, & quàm graues curæ eam summam dignitatem consequerentur, ex qua nimirum penderet totius Christiani Orbis gubernatio; imprimis Deum precatus est ád bene regendum; cuius aura spirante tot deinde, tamq. præclara opera gessit, quibus superiorum temporum memoriam superatam omnes intelligunt. Itaque publicæ indicuntur supplicationes vj. Kal. Iunij ex Ara Cæli ad Exquilias vsque; fit concursus populi, omnium ordinum, ac totius nobilitatis. Quæ in Pontificatum sanctissima ingressio eos progressus extulit; vt mirandum sit tanta celeritate, tot, ac tanta vix excogitare potuisse, non modo inchoásse, atque ad finem suum perduxisse. Inuenerat Italiam SIXTVS Pontifex tumultuantem sicariorum peste, quæ vt Hydra cum in dies serperet, & excisis capitibus totidem continuò, & fortiora procrearet, dedit operam egregiam paci, ac tranquillitati omnium populorum. Grassabantur in vijs prædones tam liberè, tanta audacia, vt nec ad visenda Apostolorum limina tutus esset accessus, nec in Vrbe, ac vix intra domesticos parietes tuti essemus. Exules enim itinera omnia occupantes ad mœnia vsque per singulos fermè dies nos infestabant. Itaq. nemo in Vrbe & extra non armatus circumspiciebatur; omnis cura, & opera in bellicis artibus ponebatur: nam hi repellebant illatam vim; illi verò omnifariã iniurias inferebant. Cum hæc esset conditio rerũ,

non

non magno armorum apparatu opus fuit; fecit enim Dominus virtutem ex alto, & brachium eius excelsum. Breuissimo temporis spatio eiecti exules, extirpatique ex suis ipsis antris, ac nemoribus, in quibus agebant; tuta reddita itinera, vniuersusque Ecclesiæ Romanæ status magno omnium solatio in summa securitate, & quiete constitutus est. Nam sicarios, exulesq. omnes factionum principes, qui Ecclesiasticæ ditionis tranquillitatem infestissimè perturbauerant, scelleratorum domitor, cultorq. pacis SIXTVS vix momento temporis tanta sua laude subegit, quantam & præsens ætas per Orbem terrarum publicæ lætitiæ testimonio, & fama concelebrat, & omnis posteritas æterna admiratione ad cælum feret. Porrò terris in pace sic compositis, cum audisset ad Stationē Romanam non admodum tutum esse accessum, ad coercendum piratarum impetum animum adiecit. Quapropter decem triremibus maximo sumptu cōstructis, quod pauci ante conati fuerant, æquori imperium imponens, tantam terræ, marique tranquillitatem fecit, vt Octauij Augusti tempora, quibus Iani fores clausæ sunt, silente bello redijsse nostra ætate videantur; proinde voluit ipsemet Centumcellas proficisci, classem spectaturus, vbi plurima pro tuto itinere in mari Tyrrheno mandauit; Congregatione etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliū de rebus maritimis constituta. Licet nūc tuto ocio frui; licet liberè per itinera, ac siluas diu, noctuq. proficisci, atque vltro citroque commeare. Nulli nunc latrones extant, nulli sicarij, & fures, nulli demum maritimi prædones in nostris oris vagantur. Neminem Legimus superiorum Pontificum Ecclesiasticam ditionem, Patrimo-

nium-

niumque sancti Petri maiore animi præstantia, ac fortitudine in tanta temporum difficultate à nefarijs hostium excursionibus defendisse, aut maiore vi auri in tam breui spatio auxisse. Vindicata ab huiuscemodi ferinis hominibus Vrbe, atque Italia vniuersa, paceque vndique stabilita, ad Dei Ecclesiam, idest sponsam suam exornandam, eiusque decus instaurandum, & augendum se se contulit. Imprimis autem vigilanti cura intendens gregi sibi commisso, in prouincias vicinas benignitatis suæ oculos conuertens, prouidit, vt ab ijs, quibus in regimen creditæ erãt, paterna charitate gubernarentur. Constituuntur S. R. E. Cardinales, qui subditorum querelas audiant, de ijs referant ad Pontificem: vt verò non modo fines Romanæ ditionis non coarctarentur, sed propagarentur in dies, prohibuit vendere, ac distrahere castra, aut alia generis eiusdem bona in statu Ecclesiastico existẽtia, præter quam subditis eiusdem status; in quo Pij Quinti Pontificis Maximi sanctionem confirmauit. Edidit huius argumenti plurimas constitutiones, quibus mirum in modum S. Petri patrimonium & conseruatum est, & supra omnem ætatẽ mirificè auctum. Nam munus ab ærario, cui prouẽtuum, ac iurium Cameræ Apostolicæ præcipua cura incumbit, cum in incerto statu versaretur, in officium perpetuum erexit, quod idem statuit in Commissariatu. Huc reuocatur erectio Montis Sixti nũcupati cum fructibus ad decem pro centenario; pertinet huc etiam Montis Fidei ampliatio, eiusque fructuum ad sex pro centenario reductio: item Archiuiũ generale, in quo Cameræ Apostolicæ scripturæ asseruantur, cui muneri Regentẽ designauit. In Vrbe veteri publicæ quoque vti-

litati consulens, Montem non vacabilem ad sex pro centenario instituit. Tum verò in Ecclesiastica disciplina nō minus studij posuit: nam Cardinalium numerum præscripsit, ac leges: ex ijs Episcopos sex, Presbyteros quinquaginta, & decē, ac quatuor Diaconos esse voluit: tum procreatos ex illegitimo matrimonio etiam legitimatos, ad honores, & dignitates Ecclesiasticas promoueri vetuit; Referendariorum prǽterea numerum tam latè patētem ad centum reduxit duntaxat, & generis eiusdem plurima, & sapientissima decreta legimus: sed quæ attinent ad paupertatem subleuandam non modo in scriptis consignata, verum etiam in operibus expressa extant. Nam Monti Pietatis, qui locus esse solet egenis in necessarijs refugium, domicilium coemit. Idem lanariæ, ac fulloniæ arti locum à Pio Quinto erectum ampliauit. Tandem verò, quod omnium annalium monumentis celebrabitur; pauperibus, qui stipem per Vrbem quærebant, ædes multo ære extruxit, ac perpetuo censu dotauit, propè Pontē SIXTI Quarti nomine nuncupatum. Hic omne hominum genus recipitur, qui facultatē traducendæ vitæ non habent: huc confluunt claudi, debiles, & membris alijs, & oculorum vsu priuati. Equidem arbitror id tantum esse, vt quemadmodū Dei misericordia super omnia opera celebratur, ita hoc pauperum domicilium omnibus tanti Pontificis operibus antecellat. Nimirum hanc charitatē ex sacrarum Scripturarum fontibus hauserat vberrimè sapientissimus Pontifex: legerat, quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis; estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est; & illa duo Deum requirere, facere iudicium, & diligere misericordiam, & huius generis quin-

ris quingenta in sacris literis. Hoc animo pauperibus virginibus, viduisque seruandis, sacrandisque monasterium instituit, ac dotauit, quod ex arcu Galieni, vbi prius ceptum erat, ob maiorem commoditatem, atque aeris sa lubritatem ad verticem Montis Quirinalis propè hortos Sallustianos, vbi est templum sanctæ Susannæ, translatum est. Demum, vt nullum eorum operum relinqueret, quæ Misericordiæ appellantur, in arce Capitolina carceres ampliauit, commodioresque reddidit, quo fit, vt loco commodiori expositi miseri, & aperto aere fruantur, & eleemosynas ab ijs, qui eò concurrunt ad iudicia, exposcere posint. Quam charitatem erga commissum sibi gregem exhibuit, cum Italia potisimum graui frumenti inopia laboraret: proinde quasi alter Ioseph horridæ, ac miserãdæ fami ita prouidit optimus Pastor, qui animam suam dare pro ouibus suis paratus erat, vt nõ modo Vrbs non egeret, imò verò viliori pretio necessaria ad victum coemeret; idcirco ad annonæ copiam comparandam ducentorum millium aureorum præsidium fecit, ac perpetuo largitionis titulo donauit. Ab eo tempore in Vrbẽ omnium rerum vbertas aduecta est, atque in præsentem vsque diem inopiæ vestigium nullum reliquit: hoc, & plurimis alijs beneficijs S. P. Q. R. SIXTO Pontifici in Capitolio statuam æneam erexit. Persimilem in ipso foro posuerunt Camertes. Quumq; ingrauesceret annona, & necesitas Neapolitanum regnum premeret, ignaris, quo se verterent, mercatoribus in tantis angustijs celeberrimi populi, Summus Pontifex ei subsidium præbuit, triticoq. aduecto, famis incommoda, quantum potuit, subleuauit. Quum vero maximis negotijs distentus

pro republica Christiana ad Vrbem exornandam Octauiani Augusti exemplo se transtulisset, voluit Obeliscum loco obscuro latentem, è priori sede auulsum, in splendidiorem, illustrioremque locum pro liminibus SS. Apostolorum in medio foro collocari: opus ab alijs Principibus cogitatione quidem, sed re ipsa à solo SIXTO & tentatum, & perfectum. Vnus enim SIXTVS Pontifex pro vetere sua prudentia, vt multa egregiè cœpit, sic præclarè perfecit. Cæsaris ex vrna cineribus eiectis Crucem Inuictam imposuit anno secundo sui Pontificatus, ac iustius, feliciusq. Christo Optimo sacrauit. Prorsus miranda, & incredibilia perfecta opera. Latebant duo Obelisci in Circo Maximo terra obruti, quos effossos acri hominum artificio in pristinam formam redegit; horum alterum ad basilicam Lateranensem, alterum ad ædem Beatæ Mariæ propè portam Flaminiam, quam loco basilicæ S. Sebastiani in Stationibus publicæ commoditati substituit, magnis laboribus, ac sumptibus transtulit, & Cruci itidem inuictissimæ Pontificatus sui anno Tertio, & Quarto dicauit. Neque verò relinquendus erat, qui in Valle Martia iam multos annos iacebat, vnus ex Obeliscis Mausolei Augusti Cæsaris, qui licet fractus in partes nulli vsui futurus videretur, ad Exquilias tamen perductus tam affabrè compactus est, vt maximam afferat spectantibus admirationem, ac templo antiquissimo Beatissimæ Virginis ornamentum. Huc accedunt Traiani, & Antonini Columnæ Cochlides, quas antiquitate corrosas restaurauit, & exornauit, ambasq. Custodibus Vrbis Petro, ac Paulo iure optimo dedicauit. Mirum hoc: videmus nunc quàm maxima lætitia sanctum Petrum pe-

dibus fastigia insanientis superbiæ veterum Imperatorũ proterere, qui capite inuerso in hac Vrbe pro vera Religione vitam ipsam exposuit. Fulget ille auro tinctus verè Petrus constitutus in caput in ipso foro Traiani Augusti Cæsaris; nec minorem voluptatẽ sentimus nos, quibus datũ est frui veteri Vrbe, ac noua resurgente potiri. Suspicimus Antonini Columnam, partim hostium iniurijs, partim igne, partim tempore ornamẽtis suis priuatam, refici figuris suis, & quasi nouã formam induere. Hanc Columnam comprimit sacratissimis plantis Vas electionis Paulus, qui pro vniuersi Orbis partibus, ac præsertim pro alma Vrbe in vera Religione instruẽda tot itinera suscepit, ac tandem vitam profudit. Hæc sanctissimis Apostolis debita gloria, qui vrbem Romam à gentilium erroribus ad veritatis viam traduxerunt. Venio modò ad sancti Ioannis Lateranensis magnificentissimum Palatium ab eodem erectum. Hic sancti Saluatoris ædem refecit: Scalam Sanctam in commodiorem locum transtulit, restituit, ac picturis exornauit; locum apposité construxit, vt festo die Paschatis benedictionem populo impertiatur. Deinceps verò secutus vestigia Patris sancti Francisci Ordinis Seraphici institutoris Ecclesiam Lateranensem penè collabentem suis humeris fulsit, ac restituit. Tandẽ verò Titulum, qui illi in Cardinalatu fuerat sancti Hieronymi Illyricorum in Vrbe, exornauit proprijs impensis. Templum erat sanè exiguum, ac peruetustum; verùm SIXTVS maiora animo concipiens alterũ à fundamentis & maius, & honorificentius paucis diebus erexit; cui meritò illa competit inscriptio, quæ superiori anno, dum festum more solito celebraretur, supra postes legebatur.

FELIX TITVLVS SVB TANTO PONTIFICE.

Illud obseruatione dignissimũ videtur, quòd, in his Romanæ vrbis, ac pietatis ornamentis, extat imprimis Sacellum ad Præsepe Domini gloriosum, quod templum aliquis dixerit, si eius partes attentius fuerit contẽplatus. Id, antequam ad summum Sacerdotium ascenderet, à fundamentis construere ceperat, ac postea Pontifex creatus mira celeritate perfecit, exornauitque. Hic non immemor mortem omnibus naturam proposuisse, sepulchrum sibi posuit: nec minus gratus Pio Quinto Pont. Max. felicissimæ recordationis marmoreum monumentum insignis pulchritudinis construi voluit in eodem Sacello, vbi se Quintus vterque sanctissimus, & vigilantissimus conspicit. Verum enim vero dum tot illustria gesta de tanto Pontifice recenseo, commemoranda est quædã, & diuina SIXTI liberalitas, qua vsus est, dum Cardinalatus honore fungeretur, qui magno, & excelso animo, eximia liberalitate supra suas vires, cum vix tantum haberet, quantum sibi ad victum pro tanta dignitate necessariũ esset, Nicolao Quarto Asculano, agri item Piceni, Pont. Max. in familiam suam permotus, atque erga patriũ solum pietate, ex lapide monumentum permagnificum in Ecclesia S. Mariæ ad Exquilias, annis vndecim antequam Pontifex crearetur, posuit. Itaque hanc partẽ in Exquilijs sic exornauit, vt quam prius incultam vix ascendebamus, nunc viam suauissimam, ac facilem experiamur. Quamquã non vna via est, quam SIXTVS rectã reddidit, & aperuit, sed Quinque præcipuæ inter alias numerantur: illa enim, quæ verticem Montis Quirinalis diuidit, Felix dicta est. Pia verò, quæ celeberrima fereba-

tur

tur, nunc directa, æquataq. fontes illos nobis commonstrat, quos Romani colles ante multos annos arẽtes sitierunt. Ex hac parte deductus est suis impensis aquæductus, admirãdæ vastitatis partim arcuato, partim subterraneo opere, tanta aquarum copia, vt Vrbs vniuersa irrigata, perfusaque præ summa lætitia gestire videatur. Concipitur aqua primùm in Tusculano, via Prænestina sinistrorsum, vbi multarum collectione facta venarum, ductu sinuoso, à receptaculo mill. xx. à capite xxij. In Vrbem adducitur, ac Felix, antequã Pontifex esset SIXTVS Quintus, ab ipsomet nũcupatur. Proinde ductus aquæ Felicis riuo subterraneo è tanta distantia in Vrbem introducitur, & proprijs impensis extruitur. Arcus ingens fundatur, per quem illæ aquarum scaturigines in vnũ collectæ deducuntur. Hæc aquarum copia in Quirinali Fontem exhibet, vbi quasi alter Moses arentibus collibus tantam aquam præbuit, quantã nemo desiderare potuisset. Hinc tamquã ex capite fonticuli quàm plurimi tum publicis, tum priuatis commoditatibus deducuntur, & in omnes Romanę vrbis partes emanant. Idcirco loca illa ad Vallẽ vsque Quirini, cæli salubritate optima, accedente tanta aquarum abundantia, felicissima sunt, & ad honestã voluptatem aptissima. Equidem mirari non satis queo: quis vmquam existimasset futurum, vt Capitolium, quo vix triumphantium currus aduehebantur, aqua tam longè ab Vrbe adduceretur? & tamen hoc nos ipsi videmus, fruimurque beneficio singulari. Aqua, quæ, vt philosophi asserunt, & experientia docet, suapte natura terrarum quaslibet partes permeat, iam non ima amplius petens, naturæ suæ oblita, per Exquilias, Quirinalem excur-

rens,

rens, Capitolium ipſum triumphantis more tranſcendit. Miramur veteris Romæ loca incoli; ſed quis non iure miretur ex omni memoria ætatum, ac temporũ tam multa illi accedere commoda? Ædificantibus enim in via Felici, & in monte Quirinali priuilegia, exemptionesq. conceſsit complures. Adiacet ante Thermas forum ampliſsimum: nitent proximi Horti Michaeli Peretto erecti: extat lauacrum publicæ commoditati poſitum. Atq. vt in dies, vt fit, ea habitatio propagetur, pro maiori omnium commodo ad illud forum fructuum, equorumque venditio trãſlata eſt, quæ prius in Circo Pompeiano exercebatur. Splendet nouum, vetusque Palatium Quirinale auctum, exornatumque: area, ac fonte illuſtratum, atque equis Praxitelis, Phidiæq. operibus, cum collabi viderentur, reſtauratis, & loco commodiore collocatis. Admirandum hoc viæ ornamentum, quod S. R. E. Cardinalibus illuc æſtate ad Conciſtoria confluentibus non exiguam voluptatẽ afferet. Diximus de Exquilijs, & Quirinali, de quibus pro dignitate dicere breuitatis ſtudium nos non ſinit; nunc de Vaticano. Hic ſpectabimus Tholum S. Petri ingenti fabrorum numero augeri, quod opus vt difficillimum fuit proſequi, ita abſoluere glorioſiſsimum erit; quo quidem abſoluto nihil admirabilius toto terrarum Orbe ſpectari poſſe creditur. Verùm id meritò tanto Pontifici reſeruatum eſt, vel enim ipſo ſolo digniſsimum erat. Quin etiam in Sacello Gregoriano voluit die Iouis ſancto Euchariſtiæ ſacramentum ſolemni more reponi: tum futurorum Pontificum commoditati portam aperuit, gradusque inferiores vnà cum veſtibulo conſtruxit, ac picturis exornauit. Huc pertinere videntur

laquearia

laquearia S. Pauli, quæ ea in parte extant, atq. eminent, in qua sanctissimi Senatus Capella fieri solet. Sunt hæc omnia, quæ attulimus pietatis argumenta, atque ad Dei, Sanctorumq. laudes pertinent, sed illud præcipue quod Stationes Vrbis ab antiquissimis temporibus institutas cõuentu S.R.E. Cardinalium, atque præsentia sua celebrari voluit. Non prætereundum hic à nobis est Pontificem SIXTVM ætate grauem, æstiuo tempore, in ipsa hyeme, summis frigoribus, templa omnia sanctissima adire; eundem in maximis negotijs Reipublicę Christianæ loca pia inuisere, & eleemosynas pro eorundem locorum reparatione liberalissimè elargiri. Testantur hæc exempla quantæ curæ sit huic Pontifici Ecclesia Dei, & quam eius obliuisci non queat. Exemplum huius Pontificis in restaurandis Ecclesijs inter ceteros secuti sunt ab eodem creati Cardinales, Henricus Caetanus S.R.E. Camerarius, ac Magnus Magister Hospitalis Hierosolymitani. Ille quidem vetustissimum templum S. Pudentianæ ferè collapsum maxima sua impensa instaurauit, & illustrauit, nec non monasterium templo proximum substruxit. Hic verò Ecclesiam S. Mariæ in Porticu ruinæ proximam restituit, & adornauit. Ad SIXTVM redeo: qui diuinum cultum mirificè extulit. Nam Præsentationis B. Mariæ Virginis, S. Francisci de Paula, S. Nicolai de Tolentino, S. Ianuarij Episcopi, & sociorum martyrum; SS. Placidi, & eorundem sociorum, S. Antonij de Padua, S. Petri Martyris festum celebrari mandauit, ac in Romano Calendario inseri iussit. Inter quæ diuina opera hoc est omni memoria dignissimum, quod beatum Didacum Complutensem ob præclara merita, sic petente vniuersa

I Hispa-

Hiſpania, ac pręſertim Philippo II. Rege Catholico ſan- ctorũ numero adſcripſit vj. Non. Iulij M D LXXXVIII. Pręterea S. Bonauenturam Ordinis ſui, deinde Epiſcopũ Cardinalẽ Albanenſem inter eximios Eccleſię Doctores adnumerauit, qui in Concilio Lugdunenſi ſecundo egregia virtutum munera Eccleſiæ Dei præſtitit, & ſacrarũ literarum innumeris monumentis, quæ iñ dies in lucẽ edi iubet, Scholaſticorum exedras illuſtrauit: eiuſdẽ nomine Collegium fratrum Minorum in ſacra Theologia inſtituit, eidemque certos reditus adiunxit. Neque vero ſtudium Romanum (quod Sapientiam vocãt) iacere voluit, quin potius cęptũ ab alijs ampliare, atque exornare perſequitur. Interea vero dũ hæc Romę geruntur SIXTVS eſt, qui ſimul non deſiſtit extra Vrbẽ plurima opera magnifica, atque præclara peragere. Meminiſſe imprimis oportet Lauretani oppidi iñ Piceno B. Mariæ Virgini dicati, nunc in Ciuitatem erecti; quod opus egregium, cum in Cõciſtorio decernererur, Ioannes Antonius Sorbellonus tũc temporis Epiſcopus Cardinalis Tuſcul. nũc vero Oſtien. ac ſacri Senatus Princeps quàm ſapiẽtiſsimè propoſuit; effecitque, vt quod antea ab omnibus deſideratũ fuerat, finem ſuum ſortiretur. Huic Ciuitati cũ SIXTVS Epiſcopatum adiunxiſſet diocęſim deſignauit, dotẽ tradidit, dignitates diſtinxit, ius pręſentandi Archipresbyterum eiuſdem Eccleſiæ Perettæ familiæ reſeruauit, atque in Sanctiſsimę Virginis honorẽ Equites Lauretanos inſtituit: quæ noua Vrbs tantorũ beneficiorum memor Pontifici æneam ſtatuam erexit. Idem Montaltum, vnde eſt oriundus, ciuitatis nomine auctum, Epiſcopatu etiam illuſtrauit, quod pariter Sanſeuerino oppido agri itidẽ Piceni

ceni conceſsit. Ceterum quantas laudes mereatur ordinatio hæc de inſtitutis huiuſcemodi Epiſcopis, id nũc ob compendij ſtudium, quo vtor in hoc opuſculo, commemorare non poſſum; res ipſa teſtatur, quãtam vtilitatem, & gloriã attulerit: nam hac ordinatione cunctæ hæ ciuitates illuſtrabuntur, & breui augebuntur. Prætereain Ciuitate Maceratenſi Rotã, vt vocant, publicę totius Marchiæ vtilitati conſulens, ad ciuiles controuerſias, quæ in ea regione orirentur, diriĩmẽdas, fundauit. Obiter autem indicabimus nonnulla extra Picenum agrum, ne ignorare poſsit lector, quæ, & quanta geſſerit tantus Pontifex. Primum ad Centumcellas dulciores aquas aduexit, cum ille populus earum penuria proximus mari vehementer laboraret: deinde fontem eximiæ pulchritudinis, & venuſtatis ad ornamentum, & vtilitatem illius vrbis poni curauit: poſtremo, quod quidem certe memorabile eſt, & in omni ætate omnino inauditum, Pontinas paludes apud Tarracinam ſua impenſa, atque induſtria eò deduxit, vt breuiſsimo tempore ſpes ſit, vt amotis aquis, quę eam terrarum partem circundabant, ac naturę impedimentis ſuperatis, vberrimos fructus maximo totius Eccleſiaſticæ iuriſdictionis commodo ſint allaturæ; & tamen ſæpe experta eas aquas exſiccare potentia ipſa Romana nunquam potuit, neque eam regionem ad bonam frugem traducere. Opus certe multis nominibus immortale, atque admiratione digniſsimum, ſed eò maximè, quod nullum admirabilius, vtiliusque vſque ad hodiernum diem extitit; idemque à poſteris, qui hæc omnia melius, & æquiori iudicio contemplabuntur inter ſeptem Mundi miracula meritò adnumerabitur.

Rursum autem ad agrum Picenum reuertamur, ne ignoremus quid in ea prouincia præclare gesserit. Firmano populo eam voluntatem ostendit, quam antequam esset Pontifex semper eidem declarauerat. Itaque vt testaretur suam erga eos egregiam, ac planè Pontificiam voluntatem publica Gymnasia instituit ad propagandã, & conseruandam doctrinam Christianæ Religionis, & ad iuuentutem Firmanam instruendam: quæ quidem ciuitas memor & veterum, & nouorum beneficiorum grati animi officio æneam statuam Benefactori suo erexit. In eiusdem agri Piceni gratiam instituit Bononiæ Collegium præclarissimum, eidemq. copiosos prouentus adiunxit, in quo Piceni iuuenes alerentur, ac bonis artibus imbuerentur. Hoc ipse vidi, & frequenter inuisi, admiratus eius situm, & magnificentiam, dum ea in vrbe studiorum gratia commorarer. In quo quidem genere prudentissimus, & sapientissimus SIXTVS in Romana Vrbe, in quam plerique doctrina, atque optimarum artium studijs eruditi confluunt, Bibliothecam Vaticanam in Theatro Vaticano erexit, quam picturis egregijs, historijs Ecclesiasticis, atque sacris Concilijs mirificè exornauit. Eidem Typographiam adiunxit ad Sanctorum Patrum Romanæ Ecclesiæ opera restituenda, atque in lucẽ prodenda; ex quo Viri omnes pij sperant multum acquiri posse ad Catholicam fidem toto terrarum Orbe propagandam. Fiet omnino, vt quæ monumenta Sanctæ Ecclesiæ Doctorum ab hæreticis alijs in regionibus corrupta, ac deprauata edebantur, in vrbe Roma suæ integritati restituantur. Verum in tanto numero rerum præclare gestarum, quas quidem non dico exornare nemo pos-

sit, sed

sit,sed vix quidem adnumerare; mirandum sanè fuit tantam vim auri summi Pontificis parsimonia ad Romanæ Sedis necessitates collectam esse, ac comparatam; quod in hac Romana Sede non modo factum ante nunquam est,sed in omni memoria ęst omnino inauditum. Arcem Hadrianam Pontificatus sui Annis Quatuor Quater decies centenis millibus aureorum muniuit, vt non modo externos,aut domesticos hostes nō timeamus, sed potius verendum sit, ne Arx illa munitissima auro fulta eiusdē grauissimo pondere laboret. Iam vero non cuilibet liberum erit,nec etiam potentioribus Romanam vrbem,aut ditionem Ecclesiasticam vexare, quod superioribus annis maximo Christianorum incommodo sæpissimè legimus. Nam ad ęrarij conseruationem,atque etiam,vt speramus, augumentum S.R.E. Cardinales iuramento obstringere voluit, ne quid de eo demant,nisi in certis,ijsq. grauissimis casibus, quorum in peculiari diplomate fit plenissima mentio. Interea Pontifex vsitato more suos ad se euocatos varijs, & nobilissimis matrimonijs,& amplissimis dignitatibus decoratos, ad maximos honores prouexit. In his Alexandrum Perettum singularis humanitatis, suauissimorumque morum, instante sacro Collegio,diaconum Cardinalem dixit, qui in ea,quam scimus adolescentia,& ætatis etiam nunc viridibus annis constitutus, maturos tamen iam fructus admirabilis cuiusdam virtutis fert. Sententiam,& æquitatem legis probat: addit consilia de negotijs publicis, ac Christianorum Principum pace; denique discordias omnes in statu Ecclesiastico emergentes toto pectore sedare conatur. In hoc clarissimo, eodemque potentissimo Principe, cum tantum

virtus

virtus antegressâ sit ætatem: non ne sperandum est in eo maiorum præstantissimas virtutes, velut translatæ plantæ solent, ad maximos fructus celerius prouenturas? Nã superioribus diebus promeritum constat, vt, mortuo Alexandro Farnesio Cardinali, Cancellariatus dignitate decoraretur. In hac Cancellariatus dignitate quinque cõcurrerunt obseruatiõne digna, quæ simul euenisse nulla memoria scimus. Primum quidem vidimus vnum plus annis quinquaginta; secundo duos, eademque ætate adolescentes, tertio ambos Pontificum Nepotes, quarto duplicem Romanæ iuuentutis florem, quinto denique duos magnos Alexandros nomine, hoc honore præluxisse; vnde æquissimum erat, vt adolescens alteri adolescenti, Nepos alteri nepoti, Romanus alteri Romano, Alexander alter itidem Alexandro succederet: & quemadmodum quatuor ex his Perettorum inuictus Alexander assecutus est, ita diuino fauore spes est, vt decies illa lustra repetita incolumis, & felicior excedat. Michaelem vero Perettum Alexandri Cardinalis Vicecancellarij fratrem illustri supra ætatem ingenio, & industria, in quo lucet indoles quædã virtutis egregię, licet ætas non dum apta sit rebus agẽdis, primùm Ciuitatis Leoninæ Gubernatorẽ creauit, deinde ad Marchionatus dignitatem euexit: postremo Margaritæ Comitissæ Somaliæ illustrissimæ, & ditissimæ in matrimoniũ tradidit. Iam vero Solis luce clarius est, quàm clarissima sint matrimonia illa duo, quę nuperrimè celebrata sunt, loquor de primarijs familijs huius Vrbis cum Perettis arctissimè colligatis, de quibus pauca dicere superfluum videtur, cum neque multa referre satis futu-

rum

rum existimē, ipsa dies, sic disponente prouidentia, ostēdet, qui, & quanti vtrinque Proceres emanabunt. Ceterū vbi Pontifex nouis Patribus sibi opus esse cognouit, incredibili liberalitate præsertim in suos aulicos, ex quibus nonnullos, qui diu, & assiduis vigilijs sibi inseruierat, nec non ex toto terrarum Orbe Viros grauissimos conquisitos ad xxix. vsque in præsentem diem pluribus lectionibus in Senatum cooptauit. Porrò hæc omnia, quæ hucusq. attigimus partim Romæ, partim foris acta, quamquam neque iudicare, neque dicere de tantis operibus pro dignitate potui; tamen animus est, quoad vita mihi contigerit, tantum Pontificem præ alijs commendare, humana quidem sunt, nec naturæ vires excedunt, licet plurimorum Principum gloriam superent: verum hoc, quod in vltimum locum huius meæ narrationis recensendum proposui, supra humanas vires sese attollens, diuinam vim ostendit. Id certè humanorum operum longè maximum est, nec veretur vt quemadmodum quę opere, aut manu facta sunt, ita aliquando consumat vetustas. Kal. Ianuarij M D LXXXIX. quo potissimum mense anni principiū nos sumimus; Ianus enim bifrons, & præteritum tempus spectare, & futurum prospicere fingebatur à veteribus illis. Eo ipso die felicissimo Philippus Iustinianus Genuēsis Societatis Iesu, cum per septennium grauiter lepra laborasset, vbi primum à SIXTO Quinto sanctissimo Pontifice benedictionem accepit, tum mundatus est, atque illicò sanitati pristinæ est restitutus. Proinde dicent posteri vberius sanctitatem in tanto Pontifice præcipue enituisse. Verùm concludendū est, quod longiori oratione fieri debuisset. In religionis cultu

inuigi-

inuigilans SIXTVS, atque eiusdem propagatione decretum à Pio Quinto sanctissimæ memoriç confirmauit, quo Henricum Borbonium assertum Regem Nauarræ Galliæ regno priuauit: quod etiam statuit contra Henricum Borbonium assertũ Principem Condensem, qui non multo post quàm hoc statutum fuerat, diem suum infelicissimè obijt. Regnum illud olim florentissimum, nunc verò bello, & ciuilibus discordijs acerrimè oppressum esse vehementer dolendum est; atque vtinam omnia meliores exitus consequantur, quàm improbi exoptant; sed dubium non est, quin tantus Pontifex ad quietem, & tranquillitatem omnia reuocet, vt & vnius Pontificis prudentia inter Poloniç Regem & Maximilianum, misso eas in partes Hyppolito Aldobrandino Legato, natæ controuersiæ compositæ sunt: ac Roma paulò ante eius Pontificatum exulum infestis copijs perturbata, pace fruitur iucundissima. Hæc noua quasi forma accepta, quantum sit consecuta ipsa se miratur, ac circumspicit. Muri, Palatia, ędes egregiæ, fontes, fora, vię, partim stratæ, partim restitutæ, ipsa templa magnifica, & splendidissima nomen SIXTI Pont. Max. in omnem æternitatem, & memoriam celebrabunt. Dicenda plura hic meritò mihi essent de tanto Pontifice, vt & plura sunt, quæ prætermissimus; sed quid attinet multis eius singularem prudentiã, & felicitatẽ prędicare, cum facile existimari queat, opus Dei esse, non humanæ naturæ, aut virium, tot, ac tanta egregia opera in hoc breuissimo temporis spatio perfecisse; cui nulla propemodum humana vis videtur resistere potuisse. Dixisse satis sit hæc spatio annorum Quatuor felicissimè peregisse. Facile admodum ex his omnibus

colligi

colligi poteſt,quid ſperandum ſit futuris annis:quos plu rimos, lætiſsimosque Deus optimus immenſa ſua benignitate ad commune commodū largiatur. Spectabimus quidem certe vrbem Romam veterem, annis ſuperioribus derelictam, inſtauratam, illuſtratam,infinitis vtilitatibus locupletatam, formoſioremque celebrari, ac teri Clariſsimorum Virorum pedibus. Hic iuſtitiæ vindex improbos, pacis perturbatores,ſi qui adnaſcentur, LEONIS robore,ac fortitudine è medio tollet, ſecuritatē, ac tranquillitatem Vrbi, & Eccleſiaſticæ iuriſdictioni reſtitutam defendet,vbertatem rerum omnium introductam augebit, mores reformatos quàm ſapiētiſsimè in officio cuſtodiet; & demum efficiet,vt Eccleſia victrix externos hoſtes ſæuientes in rem Chriſtianam extinguat. Optat equidem Romana Eccleſia parens optima, vt virtute dexteræ Dei excelſi Regnum Angliæ à vera Religione ſemotum ad vnitatem reducat: Germania in vnius conſenſione doctrinæ SIXTVM verum Paſtorem recognoſcat,ac Gallia vnius coniunctione voluntatis in Chriſti pace conquieſcat.Quod idē Chriſtus Deus noſter nobis concedat, vt res Eccleſiaſtica, quæ Summi Pontificis conſilio,& adminiſtratione in veterem gloriam reuocata eſt, piè,ac ſanctè directa in dies magis,magisq. per multos annos incolumi SIXTO V. PONT. MAX. floreat.

CAPITA
ALIQVOT MYSTERIORVM INVICTI QVINARII NVMERI.

I. QVINTVS dies Creationis reptilia, & aquatilia primum vidit.

II. Quintus dies ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutionem habuit.

III. Quintus dies Chriſti Saluatoris noſtri in Cœlum Aſcenſionem celebrat.

IV. Quintus dies fuit, in quo ſtetit Ezechiel ad fluuium Chobar.

V. Quintus dies Bethuliæ, ab Holofernis obſidione, liberatæ, lætiſsimus illuxit.

VI. Quintus annus ad nouæ arboris fructibus veſcendum, in lege ſtatutus erat.

VII. Quintus Angelus tuba cecinit, & vidit ſtellam de Cœlo cecidiſſe in terram.

VIII. Quintus Angelus effudit phialam ſuper ſedem Beſtiæ.

IX. Quintus Angelorum Chorus ad Principatus pertinet.

X. Quintus in ordine Prophetarum Daniel lapidem oſtendit.

XI. Quintus lapis in Tiara Pontificum, omnium precioſiſsimus, Adamas enitet.

Quin-

XII. Quintus inter ſenſus viſus omnium perfectiſsimus.

XIII. Quintus hominis ſtatus, virilitas omnium robuſtiſſima.

XIV. Quintus menſis frugibus regionibus late albeſcentibus propinquior.

X V. Quintus numerus Romanum Imperium maximè illuſtrat.

XVI. Quintus Aſpectus in Cœlo LEONE deſcribitur, cuius magnanimitatem in Inſignibus SIXTI QVINTI & eiuſdem operibus admiramur.

Hæc in gratiam S. D. D. SIXTI PAPÆ QVINTI
in numero QVINTO Quindecies,
& ſemel repetito,
ſtudio Ioannis Pinadelli Philoſophi Taruiſini
collecta, proprijs q. impenſis edita.

Feliciſsimi, & integerrimi Pontificatus eiuſdem SIXTI QVINTI Anno Quarto expleto
M D LXXXIX.

Laus Deo, honor, & gloria.

INDEX

ROMANORVM PONTIFICVM QVI HOC NVMERO QVINARIO CONTINENTVR.


20 25 30 5 10 15 20 25 30 5 10 15 20

REGESTVM

A B C D E F G H I K.

Omnia ſunt folia.

R O M Æ,

Apud Franciſcum Zannettum. M D LXXXIX.

Permiſſu Superiorum.

19. perri. (Dieci)

1719

Mor. 1917. Kuy. — 4

260

18-2-13-38

Dieci esemplari

Registrato completo